Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

praefatione commendans. dicens non nulla in his ab hereticis deprava
ta. que tu ab aliorum librorum origenis lectione correxeris.
Me quoque laudas. ne te amicorum meorum quispiam contradicat.
Origenis ΚΑΘΗΡΙΚΑ [phika] praedicas. eloquentiam meam in celum fers. ut in fine in
cenum deprimas. fratrem et collegam vocas. et imitatorem te mei operis
esse fateris. Cumque ante translatas origenis LXta omelias. et non nullos
thomos in apostolum iacteres. in quibus sic cuncta limaverim. ut in illis quod
a fide catholica discrepet latinus lector inveniat. nunc eosdem li
bros hereticos criminaris. et verso stilo que praedicaveras. quasi certe
fortem putabas accusas. quoniam perfidie tue cernis inimicum.
Quis e duobus calumniator est martyris? Ego qui illum hereticum dico non
fuisse. nec scripsisse librum qui ab hominibus reprehenditur. an tu
qui volumen hominis arriani titulo commutato sub nomine martyris
edidisti? Non tibi sufficit scandalum grecie. nisi illum et in latinorum au
ribus ingeras. et inclitum martyrem tua quantum in te est trans
latione deformes? Tu quidem alia mente fecisti. non ut martyrem
argueres. non ut me accusares. sed ut scripta origenis per nos
defenderes. At tamen scito. romanam fidem apostolica voce laudatam
eiusmodi praestigias non recipere. etiam si angelus aliter adnuntiet quam
semel praedicatum est pauli auctoritate munitam non posse mutare.
Ergo si frater sive a te falsatus est liber. ut multi putant. sive ab
altero ut tu forsitan persuadere conaberis. et temere cre
didisti heretici hominis. ΣΥΝΤΑΓΜΑ. et martyris muta titu
lum. et romanam simplicitatem tanto periculo libera. Non tibi expe
dit. ut praeclarissimus martyr hereticus iudicetur. ut qui
effudit pro christo sanguinem. contrarius fidei christi approbetur. Dic po
tius inveni librum. putavi martyris. ne timeas penitentiam. Iam te
non urgebo. non queram a quo acceperis. vel mortuorum aliquem no
minato. vel in platea ab ignoto homine emisse te dicito.
Non enim dampnationem tuam querimus sed conversionem. Melius
est ut tu erraveris. quam ut martyr hereticus fuerit.
Interim de praesenti compede ut cumque erue pedem. in futuro